

Rorem subisse sanctum, Te chrismate immortatum.

S. Augustinus lib. 5. de Baptif. cont. Donat. capit. 20. Quomodo aquam mundat & sanctificat homicida? Quomodo benedicitur oleum tenebra? (Et subinde:) Si ergo ad hoc valet quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam baptisimi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen & fiunt & valent etiam per homicidas. Constante ibi disputat Sanctus Doctor, & valere baptismum etiam ab hæreticis collatum & susceptum, neque Sacramenta tum regenerationis per aquam, tum Confirmationis per unctionem & chrisma cum manus impositione, neque Eucharistiæ, quæ tria simul ex Ecclesiæ veteri usu confertur quibus mos erat, vim suam mutuari a moribus ministrantium, sed ex ipsa Christi institutione. Idemque lib. 2. contra Iulianum Petilianum cap. 104. In hoc unguento Sacramentum Chrismatis vult Petilianus interpretari. Quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum, sicut ipse Baptismus est, sed potest esse in hominibus pessimis. Et inferius: Discerne igitur visibile sanctum Sacramentum, quod esse & in malis potest: illis ad premium, istis ad iudicium, ab invisibili unctione caritatis, quæ proprie bonorum est. S. Papa Gregorius in Cant. 1. In Engaddi (inquit) balsamum gignitur, quod cum oleo Pontificali benedictione chrisma efficitur, quo dona sancti Spiritus exprimentur. Ex Patribus Grecis testimonia perspicua suppetunt. Justinus quasi 137. orthodoxorum scribit peractis mysteriis Baptisimi, consignari fideles sacro unguento. Orig. homil. 8. in Levit. prope fin. Sic ergo conversis a peccato purificatio; purificatio quidem per omnia illa datur quæ superius diximus. Donum gratia Spiritus per olei imaginem designatur: ut non solum purgationem consequi possit is, qui a peccato convertitur, sed a Spiritu sancto repleri. Deinde homil. 9. ultra medium: Omnes qui cumque unguento sacri Chrismatis delibuti sunt, Sacerdotes effecti sunt, sicut & Petrus ad omnem Ecclesiam dicit: Vos autem genus electum, regale Sacerdotium. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. Mythag. 3. Quomodo panis Eucharistiæ post Sancti Spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed est Corpus Christi: sic & sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum, postquam jam consecratum est; sed est chrisma Christi, quod adventu Spiritus sancti per ipsius divinitatem energiam habet, quæ frons & alii sensus sui symbolice inunguntur. Et corpus quidem ipso visibili unguento perungitur, anima vero sancto ac vivifico Spiritu sanctificatur. Gregor. Nazianz. Orat. in sanctum Lavacrum hæc ait: At si tu per Baptismum te ipsum chrismaveris, ac præclarissimo & firmissimo auxilio tibi in futurum caveris, animam scilicet & corpus unctione & Spiritu conflagrans, quemadmodum olim Israel nocturno illo primigenioque luente ruore, quid tibi accidit? Et quod tibi prædicium comparatum erit: Audi Salomonis paræmiæ: Si sederis, ait, intrapedus eris; si dormieris, suavis erit somnus tuus. Heu miserandam & ter quaterque dolendam hæreticorum sortem! qui Sacramentum istud Divinæ unctionis, ac fontem aque vivæ salientis in vitam æternam, non turbaverunt modo, sed omnino sibi metipsum ipsius extinxerunt, præcluseruntque hoc Sacramento animo spirituali læticia perfunditur, & ad pugnam salutarem roboratur, quæ sunt proprietates & fructus Sacramenti hujus emanantes a sacratissimo illo nomine Salvatoris, ex quo proderunt vivifica Ecclesiæ Sacramenta, de quo scriptum est Cant. 1. Oleum effusum Nomen tuum: & in Psalmis: Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Oleum namque symbolum esse scimus hilaritatis atque lætitiæ. Hinc ethnici homines geniales dies celebraturi, unguentis delibuti in publico se conspicuos præbebant. Vitæ quoque Magister cum vellet de jejuniis hypocritarum arceret, hilares atque jucundos nos esse jubet, dicens: Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunas. Et cum docet plures faciendam esse nobis reprehensionem acerbam viri boni, qui nos, quibus hæreticus vitis, revellere fudet, quam improborum hominum assentationem, blandaque verba, quibus exhiberemur, hilaritatem animi oleo comparat. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Unctio præterea ad certamina præmittit. Eamque ob causam athletæ olim ad certamina descensuri oleo se totos perungebant, ne pugnando spiritibus transmissis per patentes corporis meatus, quos oleum obturat atque obducit, vires dissiparentur. Nomen itaque JESU in animam admistum intra præcordia conditum, magnam ingenerat fiduciam, terroresque depellit, turbulentos affectus mitigat & componit, ne illis succumbamus, & alacres ad

prælia pro Christo suscipienda, & dura quoque & aspera subeunda efficit; hinc enim dimanabat illa sanctorum Christi Discipulorum constantia: Ibant Apostoli gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habitii sunt pro nomine JESU contumeliam pati. Hac incitatus Divini Spiritus vi audenter protestatur: Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio? An angustia? An fames? An nuditas? An periculum? An persecutio? An gladius? Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo JESU Domino nostro. Atque hæc est virtus mitifica, qua corpore delibuto anima etiam confirmatur, & perfunditur Divini Spiritus virtutibus & donis.

3. Can. V. Statuimus, & districte præcipimus, ut Clerici universi vestes gerant, non brevitæ nimia ridiculas vel notandas, sed saltem ultra tibiæ medium attingentes. Aureas quoque patentes quilibet non operas, & coronas habeant probanda latitudine concedentes. Si qui vero in Sacerdotio vel Dignitatibus constituuntur, aut curam habentes animarum, seu Cathedralium Ecclesiarum Canonici, contra præmissa in insulis corona vel tonsura deliquerint, si moniti non emendaverint, ipso facto ab officio suspensionem incurant; in qua si per tres menses persisterint, ex tunc a beneficio sint suspensi; nec prius per suos Diocesanos ab hujusmodi sententiis absolvantur, quam sextam reddituum suorum illius anni partem solvant, per ipsos Diocesanos fideliter pauperibus erogandam: solvis aliis pœnis condignis, quas Prelati subditis in his delinquentibus voluerint irrogare. De ipsis quoque Sacerdotibus, Decanis, Archidiaconis, & aliis in Dignitatibus constitutis, qui in vestium habitu contra præmissa deliquerint, eadem statuimus observari. Reliquos vero Clericos in præmissis delinquentes suorum Prelatorum arbitrio relinquimus puniendos. Præcipimus autem in virtute sanctæ Obedientiæ universis Archiepiscopis, Archiepiscopis, & ceteris Prelatis, ut in locis sui jurisdictionis subiectis, super præmissis diligenter inquireant, & contra delinquentes statum præsens efficaciter observent, & faciant observari: Qui si postquam eis per facti evidentiam, vel alio iusto modo consuerint quemquam delinquere in præmissis, corrigere eos secundum ea que sunt statuta, neglexerint; Archiepiscopi quidem & Episcopi Dalmaticæ, tunica & sandaliorum usu: Archiepiscopi vero & alii inferiores Prelati ipso facto ab ingressu Ecclesiæ, donec circa correctionem & emendationem exerceant sui officii debitum, sint suspensi.

Can. IX. Sacrorum Ordinum dispensatio quasi clavis ad aperendum varias portas salutis & gratiæ spiritualis hominibus est concessa, quam habere necesse est, ut clavis aperiat, qui curam obtinet animarum. Qui etiam clavem gerat, extra mansionem vagari non debet, ut paratus sit in statione continua vacantibus, & non vacantes suis exhortationibus, quasi pastor sollicitus, ad se trahat. Hæc licet antiqua Sanctorum Patrum decernat auctoritas: quia tamen ab iis, qui temporalem fructum plus diligunt quam æternum, invenitur temere non servatum, prædictus Legatus circa urumque provide statuit inter alia: Legatus de cetero ad Vicariam admittendum nisi in Presbyterum jam ordinatum, vel saltem in Diaconum proximis temporibus ordinandum: qui renuncians aliis beneficiis, si que habet curam animarum habentia, jure ibi residentiam facere corporalem; alioquin institutionem ipsius nullam fore decrevit, & Vicariam alii conferendam. De iis autem qui tunc jam fuerant constituti, non tamen in Presbyteros ordinati, statuit & præcepit, ut ex tunc infra annum ad minus se facerent in Presbyteros ordinari: alioquin privatos ipsos ex tunc Vicarius fore decrevit: quod de residentia circa instituendos præceptum erat, statuens etiam circa ipsos. Nos autem contra hoc agentium malitiam compescere nostra quoque ad hoc opportuna distributione volentes, adicientes statuimus, ut si quis de cetero contra hoc statutum Vicariam tenuerit, fructus suos non faciat sic perceptos, sed ipsos restituere teneatur. Et ipsorum medietas Ecclesiæ, cujus est Vicaria, tradatur, in ipsius utilitatem modis omnibus convertenda; medietatis vero pars altera in pauperes illius Parochiæ expendatur, & altera loci Archiepiscopo applicetur. Ipse vero Archiepiscopus super his annis singulis inquisitionem faciat diligentem, suaque opera & sollicitudine statum hoc faciat firmiter observari. Sciendum, ex jure communi vacare beneficium ipso facto Sacerdotio annexum, si provisus neglexerit ad Sacerdotium integro anno promoveri.

C. cum in cunctis, §. inferiora, de election. & c. i. de atat. & qualit. & ord. præficiend. & c. ei qui, de præbend. in 6. & clemen. ut ii: de atat. & qualit. & Concilium Trid. sess. 22. cap. 4. & sess. 24. cap. 12. de reform. §. neminem. Et edictum Henrici IV. ann. 1606. art. 1.

4. Can. XII. Catholica unitas sanxis & auctoritas, ut in una Ecclesia unus sit rector quasi unius corporis unum caput. Sed suspensivæ zizaniam seminari interdum per plurimum in una Ecclesia pariter discordiam, interdum per cupidorum signenta, qui de ipsa Ecclesia nihil aliud quam commodum temporale venantur, hanc pestiferam divisionem diversis modis inducit, ut in plures collata una Ecclesia dividatur. Nos igitur statuimus, ut omnis hujusmodi prorsus divisio facta, nisi tanto præcesserit tempore, ut merito possit antiquitatis jure censeret, per locorum Diocesanos revocetur. Si qua vero de cetero fiat divisio, hanc nullam ipso jure fore decernimus. Et presentans quidem unus, aut plures, jus illa vice præsentandi amittant, ad Superiorem proximam devolvendam. Si vero Prelatus sic contulerit, vel presentatos admiserit, non solum infirmitas ejus viribus careat; verum etiam ipse, quosque id revocaverit, ipso facto a collatione, institutione, seu presentatione beneficiorum quorumlibet sit suspensus.

5. Can. XIII. Statuimus, ut si quis aliquem ad Ecclesiam, vel Cometerium, aut Clausuram confugientem inde abstraxerit violenter, vel alias vitium necessarium prohibuerit, in quo similis est necanti: aut res alienas in locis prædictis depositos hostiliter se violenter asportaverit, vel asportari fecerit, aut factam suo nomine vel a familiaribus suis asportationem aut prohibitionem ratam habuerit, aut abstrahentibus, prohibentibus, vel asportantibus præberit publice vel occulte auxilium, consilium, vel consensum; ipso facto sit excommunicationis vinculo inodatus, a quo nullatenus absolvatur, nisi prius Ecclesiæ, cui tantam injuriam fecit, & damnum passo satisfaciatur competeret.

Can. XVIII. Improbam quorundam avaritiam persequentes, qui cum a suis Ecclesiis & Ecclesiasticis beneficiis multa bona suscipiant, domos earum & cetera ædificia negligunt: ita ut integra non conservent, & diruta non restant; propter quod ipsarum Ecclesiarum statum deformitas occupat, & multa incommoda subsequuntur. Statuimus atque præcipimus, ut universi Clerici suorum beneficiorum domos & cetera ædificia, prout indigerint, reficere studeant: ad quod per suos Episcopos, vel Archiepiscopos, sollicitè moneantur. Si quis vero post Episcopi vel Archiepiscopi sui monitionem, per duos menses id facere cessaverit, ex tunc Episcopus ipse, ipsius Clerici sumptibus, id fieri faciat diligenter, de fructibus ipsius Ecclesiæ, vel beneficii, præsentis auctoritate statuit, tantum accipi faciens, quantum ad refectorem hujusmodi sufficit peragendam. Cancellos etiam Ecclesiæ per eos, qui ad id tenentur, refici faciant, prout superius est expressum. Archiepiscopos vero, Episcopos & alios inferiores Prelatos domos ac ædificia sua jura recte reficere, & in statu suo conservare ac tenere sub Divini iudicii obestatione præcipimus: ut ipsi ea reficiant, que refectioe noverint indigere.

Concilium Moguntinense sub Carolo Magno c. 43. similiter decernit: Quicumque Ecclesiasticum beneficium habent, omnino adjuvent ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas. Et refertur a Burchardo lib. 3. Decretal. cap. 30. & ab Ivone p. 3. cap. 35. & cap. 1. de Eccles. ædific. Item eod. tit. cap. de his statutur: De his qui parochiales Ecclesias habent, duximus respondendum, quod ad reparationem & instaurationem Ecclesiarum cogi debent, cum opus fuerit, de bonis, que sunt ipsius Ecclesiæ, si eis superint. conferre, ut eorum exemplo ceteri imitentur. Præterea Concilium Londinense anni Chr. 859. can. XI. definit: Ut Ecclesiæ saciantur & restaurentur in ædificiis ab iis, qui rebus earum utuntur. Ad quem enim spectat emolumentum, pertinet etiam onus, l. manifestissimi, §. pen. in fin. Cod. de furt. Ipseque usufructarius tenetur ad facta tecta, l. eum ad quem, C. de usufr. & l. usufructu legato, ff. eod. Vide omnino Concilium Trident. sess. 21. de reform. cap. 7.

Can. XX. Deus omnipotens, cujus omnia sunt, pretium quolibet pro delicto non accipit, & holocaustum non postulat pro peccato. Quidam vero ad aliorum regimen deputati hoc ignorant, aut ex temeraria quadam industria contententes; cum peccatur, a subditis debitam pro pecunia pœnam remittunt. Ex quo fit, ut, Deo non indulgente, tam vindex criminis quam commissor sui in eodem sacculo delicta consignet pariter iudicandi. Et quia iuxta B. Isidorum nullam reus permissit culpam, quam redimere nummis æstimat, non ex hoc mala voluntas minuitur vel mutatur, sed potius datur auctoritas & licentia delinquendi: Statuimus, ut Prelati, que corrigenda invenerint, corrigant diligenter, nec pecuniam ad hoc ut non visent, vel non corrigant, vel ut crimina non puniant, ab aliquo recipere presument; nec aliquo Cabassuti, Notitia Ecclesiastica.

sententiis suis involvant injuste, ut ab eis possint pecuniam ex hoc extorquere.

Can. XXII. Pastor bonus agnoscens gregem suum debet ipsum mentis & corporis oculis fugiter intrinse, & ne ipsum insidiosus lupus invadat, sicut hostis persequendo invigilat, sic Prelatus resistit continue defendendo. Oportet igitur, ut corporalis presentia ipsum sollicite tueatur, quia videns Pastor & veniens sepe non invenit quod reliquit, eo quod illud adversarius non recedens neque dormiens asportavit. Sane licet Episcopi ad personalem residentiam circa gregem Domini sibi commissam Divinis quam Ecclesiasticis præceptis noscantur astricti: quia in partibus nostræ legationis nonnulli sunt, qui hoc attendere non videntur; Nos ipsos efficaciter hortamur in Domino, & in virtute S. Obedientiæ, atque sub Divini obestatione iudicii commoneamus, ut ad commissam sibi gregis curam, ad desponsatarum sibi Ecclesiarum sollicitudinem, præcipue diebus solemnibus Quadragesimalibus, & Adventus, presentiam suam exhibeant debitam, quibus se fide media copularunt: sanctum Chrisma, Oleum sacrum, & Oleum infirmorum in die Cœne Domini quolibet anno conficiant, nisi eos dictis diebus ab ipsorum Ecclesiis a suis Superioribus evocatos, vel ex alia iusta causa oporteat absentare, ut quod ipsorum nomen præterit, & commissum sibi ministerium exigit, quod non minus gerit oneris quam honoris, sollicitis studeant excubiis observare.

Can. XXIII. Nonnulli in Ecclesiis, que per proprios consuevit gubernari Rectores in usus eorum concessa, ut totum quod ex appropriata sibi Ecclesiis provenit, inhianter absorbeant, ipsam relinquunt Vicario deservitum, aut si Vicarium in ea fortassis instituerint, ita modicam eidem relinquunt fructuum portionem, quod non potest sibi sufficere, & Archiepiscoporum, & alia sibi incumbentium onera supportare. Quo fit, ut quod in elemosynam est provisum, in sitim avaritiæ confluat, transcat in rapinam. Super his igitur salubria remedia cogitantes, statuimus, & districte præcipimus, ut universi Religiosi exempti Cistercienses, & alii quicumque, qui Ecclesias in propriis usus habent, si Vicarii non sint positi in iisdem, infra sex mensium spatium Vicarios presentare Diocesani, qui eos institueri debeant, non omittant: quibus sufficientem assignare pro facultate Ecclesiarum studeant portionem. Alioquin ex tunc iidem Diocesani id facere studeant diligenter. Statuimus quoque, ut Episcopi qui Ecclesias in propriis usus habent, domos in ipsarum Parochiis construunt, vel olim constructas reedificent & conservent, in quibus honeste possint recipi visitantes. Supradicta vero omnia tam ab Episcopis, quam ab aliis, qui Ecclesias in propriis usus habent, fieri præcipimus & servari.

Ad curam vero alicui Monasterio subiectam non monachi, sed sæculares Clerici ab Episcopo cum consilio Monachorum instituendi sunt; sic tamen ut ex folius Episcopi arbitrio ejus dependeat tam ordinatio, quam depositio & totius ejus vitæ conversatio, c. 1. de Capell. Monachorum.

Can. XXX. In posterum cum ad beneficium curam habens animarum quemquam presentari, aut ipsius collationem alias fieri contigerit, statuimus, ut Prelatus, qui circa hoc suum gerit officium, prius de vita & conversatione presentati ac instituendi, atque de aliis, que jura præcipiunt, inquisitione præmissa, inquireat. Hoc quoque vigilantes discutiatur & perquiratur, utrum habeat presentatus, vel instituendus, hujusmodi personatus, seu alia beneficia curam animarum habentia.

Can. XXXI. Nos & animarum salutis & Ecclesiarum status & indemnitati diligentia qua possumus ex officii nostri debito prospicere cupientes, universas Ecclesiarum commendationes hætenus quibuscumque factas, nisi ex evidenti utilitate unius tantum Ecclesiæ commendatio facta sit, penitus revocamus, & ipsas ex tunc vacantes decernimus: eis ad quos ipsarum collatio, vel ad eas presentatio spectat, districte mandantes, ut infra duos menses post presentis constitutionis nostre publicationem conferant, seu presentent; alioquin ipsarum collatio ad Sedem Apostolicam devolvatur. In posterum autem imbibemus Ecclesiam quamlibet commendari, nisi iusta causa & legitima id exposcat. Et ut omnibus versutis, adinventionibus, & fallaciis occurramus, statuimus, ne cuiquam ultra unum cum cura animarum beneficium obtinenti Ecclesiæ commendetur, neque plures Ecclesiæ alicui persona valeant commendari. Quod si contra ea, que salubriter hac nostra provisione statuta sunt, Ecclesiæ commendationem a quoquam vel cuiquam in locum nostræ Legationis fieri contigerit, ipsam, & quidquid ex ipsa secutum fuerit, jure decernimus non valere. Episcopus vero, qui commendationem contra præmissa fecerit.